



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

6 Impedimenta plura cum adsint, potest peti dispensatio ab vno, absque eo quod de alio fiat mentio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

& proinde ad eam contrahendum propria persona, vel propria manus obligatio, tactus, & responsio est necessaria; hanc compaternitatem, & cognationem spirituales contrahere non censetur, qui per mandatarium, vel Procuratorem aliquem baptizauit, aut in baptismo, vel confirmatione suscepit. Et quamuis secundum iura antiqua cognatio spiritualis per alium contrahi poterat, e. Martinus, de co. spirit. vxor enim vel maritus suscipiens, vel leuans fiebat patrinus, & cognatus spiritualis eorum personarum, quibus suscipiens, vel leuans fiebat, quia, scilicet per consummationem matrimonij coniuges vna caro, & vna persona efficiuntur; Hac tamen ratio in alijs nimirum in Mandatario, vel Procuratore, cessat, & illa iura iam per Concilium Tridentinum vbi supra enervantur, vnde nec impedimentum hoc cognationis spiritualis contrahi, qui per mandatarium de Baptismo fonte aliquem leuat.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 4.

VT Patrinus maior ætate sit baptizato, nullo iure statuitur, aut requiritur, Neque enim Patrinus, aut Matrinx personam patris, vel matris gerit, quasi hoc ratione, vt quidam falso putant, necesse sit, vt Patrinus tot annis baptizato maior sit, vt possit esse pater eius naturalis ex Pano. & Arch. in c. debitum de Baptismo, sed baptizans patris personam gerit, & aqua matris, Patrinus autem solum se fideiussorem, & pedagogum constituit, c. vos ante de consecr. d. 4. qualis potest esse, qui est minor ætate.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. alias 7.

Quamuis plures patrinus eiusdem baptizandi tam secundum antiqua iura, c. non plures de consecr. d. 4. quam Concilij Tridentini decretum sess. 24. c. 1. de ref. matr. esse non debeant, si tamen alicuius baptizandi parentes tres patrinus, aut etiam plures nominationem spirituales contrahunt, & admittat, omnes nominationem spirituales contrahunt, c. quamuis de cogn. spir. in 6. cum non sit maior ratio vnus, quam reliquorum, nec per iura ista antiqua aut noua annullatur actus plurium patrinorum, si fiat, Man. ex Na. c. 22. nu. 39. patochus autem plures admittens puniendus est, vt patet per Concil. Trident. sess. 24. c. 2. de ref. matrim.

DECISIO V.

Ex cons. 8. in Nouis, deesi in antiquis quamuis fere idem sit cum cons. 2. de consang. & affin.

Quamuis nobilior sit cognatio, & coniunctio spiritualis, quam carnalis, c. ita & c. Pyctacium 30. quæst. 3. quoad ius quoddam reuerentiale, & spirituale, quoad effectus in iure expressos, non tamen ab vna ad aliam arguitur, vnde licet incestus propter matrimonium impediatur, quia tamen copula inter cognatos tantum spiritualiter cognatione compaternitatis, vere incestus non est, cum incestus definiatur esse consanguineorum affiniumque coniunctio, c. 1. 30. q. 1. palamque sit cognatos spiritualiter tantum, nec consanguineos, nec affines esse, c. 1. 30. quæst. 3. prout rubrica diuersæ de consanguinitate, & affinitate, & cognatione spirituali manifeste declarant, per copulam talem inter coniunctos tantum spiritualiter impedimentum ad contrahendum matrimonium non inducitur. Sed neque impedimentum incestus matrimonium contractum dirimit, & super eo episcopus dispensare potest. Ita Nau. in Man. c. 22. nu. 75.

DECISIO VI.

Impedimenta plura cum adsunt, potest ab vno peti dispensatio, abque eo quod de alio mentio fiat. Quamuis enim omnis expressio falsi, qua mouetur Princeps ad gratiam facilius concedendam, eam subreptitiam, & ipso iure nullam reddat, cap. super literis. de rescript. non tamen omnis taciturnitas veri, cuius expressio retraxisset principem ad non ita facile concedendam, reddit gratiam nullam, sed sola illa qua taceatur verum, quod iura in tali impetratione exprimi iubent. Ita inquit Nauar. in Man. cap. 22. nume. 86.

vnde licet in impetratione beneficij facienda sit mentio de beneficio habito non tamen de cura, vel ordine illi annexis, licet mentio illorum difficiliorem redderet principem ad concedendum, quia id nullo iure præcipitur; Et collatio beneficij facta criminoso crimine non inducente irregularitatem & inhabilitatem ad beneficium valet, non facta mentione de illo crimine licet illius expressio principem difficiliorem reddidisset ad conferendum, ex Inno. in cap. proposuit, verb. executor. de concess. præb. Et impetratio absolutiois ab vna excommunicatione, non facta mentione de alia, valet, glo. 1. in cap. ex parte de offic. ordin. Et proinde nec in impetratione dispensationis super vno impedimento matrimonij, fieri debet mentio de alijs, ad hoc vt valeat dispensatio quoad impedimentum, ad quod illa impetratur, cum id nullo iure canonico, vel Cæsareo caueatur, & non est inducenda obligatio iuris, sine iure ad id obligante. Arg. cap. 1. de translat. prælat.

TITVLVS VIII.

De consanguinitate, & affinitate.

SVMMARIVM.

- 1 Dispensatio super affinitate, & consanguinitate sacro incestu valet.
- 2 Affinitas ex illicito coitu in 3. & 4. gradu matrimonio superueniens non impedit exactionem debiti.
- 3 Sponsalia sicut matrimonium inter raptores, & raptam donec restituantur, sunt prohibita.
- 4 Dispensatio super affinitatem non extenditur ad publicam honestatem concurrentem.
- 5 Dispensationis in gradibus cognationis que cause sint.
- 6 Filij nati ex coniugo per commissionem de dispensando bona fide contracto, licet eius forma satis seruata non fuerit, censentur legitimi.
- 7 Affinitas non nisi ex copula carnali ordinaria oritur.
- 8 Impedimentum affinitatis, & publicæ honestatis multum distat.
- 9 Affinitatis impedimentum ex illicito coitu, tam occulto, quam publico, nascitur.
- 10 Matrimonium contrahendum impediri non potest ad vnus testis dictum asserentis se ab vno alio audiuisset eos esse consanguineos.
- 11 Consanguinei sunt, cum vnus descendit ab alio, vel ambo a tertio.
- 12 Suprans consanguineam cum promissione illam ducendi, quid facere tenetur.
- 13 Dotis incompetencia causam sufficientem præbet dispensandi, vt consanguineo nubat.
- 14 Subreptitia est dispensatio matrimonialis in qua narratum fuit oratores ignorasse impedimentum, cum vnus sciret.

DECISIO I.

Ex cons. 2. (alias) 9. deesi in Nouis.

Dispensatio a Papa super impedimento consanguinitatis & affinitatis obteata non facta mentione copule, & incestus præcedentis valet, & matrimonium inter eos non obstante taciturnitate illa, contractum validum censeri debet, nec tenentur iterum impetrare dispensationem illo expresso, vel per aliud aliud supplere; Quamuis enim impedimenta consanguinitatis, & affinitatis impedimenta sint matrimonium impediens, & dirimentia vt proinde necesse sit in impetratione dispensationis ab istis ea exprimere, impedimentum tamen incestus est solum impediens, vnde licet sic contrahentes sine dispensatione illius peccent, matrimonium tamen contractum non dirimit,